Cracov. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1671. die 21 Martii

Mroszkowski Pauli Aug. Manubiae laureatae
ex arduo rigidi examinis labore ob virtutis
et conditionis meritum VV. DD. XI primae
laureae Candidatis – honoris fere collatae.

MANVBIÆ
LAVREATÆ

Ex arduo rigidi examinis labore,

Ob virtutis & eruditionis meritum,

V.V. D.D. XI. PRIMÆ LAVREÆ

CANDIDATIS,

DVM

In Almâ Vniuersitate Cracouiensi,

PER

Clarissimum & Admodum Reuerendum Dominum,

D. M. VALENTINVM IOANNEM MAZVRKOWICZ,

Collegam Maiorem, Regium Professorem & ad Sanctam ANNAM Canonicum,

IN

Florentissimâ Academici Senatûs & Nobilissimorum Hospitum Corona.

Artium & Philosophiæ Baccalaurei

ritu Solenni renuntiarentur;

Honorificè Collatæ, &

A

PAVLO AVGVSTINO MROSZKOWSKI,

Eiusdem Laureæ CANDIDATO

Amoris & gratulationis ergò, publico applausu

CELEBRATÆ,

Anno Domini 1671. *Die* 21. *Martij.*

CRACOVIÆ, Ex Officina SCHEDELIANA, S. R. M. Typogr.

J N

GENTILITIVM INSIGNE
Perilluſtris & Admodum Reuerendi Domini,



Virtutis decus hoc, & magni pignus honoris,
Stirps HABDANCORVM, quo generoſa nitet;
Publica res quoties, diuinaq; cavſa popoſcit
Inſigni domus hæc corde, animoq; ſtetit.
Nec Tibi MAGNVSKI, Vir magni nominis imò
Omnia Te Magnum Nomine, req; probant.
Hinc dilecta Tibi ſunt hæc inſignia; namq;
Magnanimum pectus pro pietate geris.

PAVLVS IOANNES OBORSKI, *Subdapifer Bielnenſis Auditor Diale:*

PERILLVSTRI & ADMODVM REVERENDO DOMINO,

D. ALEXANDRO MAGNVSKI,

Gneſnenſi, Cracouienſi, Vladiſlauienſi, Louicienſi, Canonico, &c.

DOMINO & PATRONO COLENDISSIMO.

Arduum in magnis certamen, non armorum tantum, ſed ingeniorum quoq; conflictu; inſtitui ſolitum; quoties ad veræ gloriæ magnitudinem contendit; laureatis ex victrici ſapientiæ palma, nunquam caruit manubijs. Perilluſtris & Admodum Reuerende Domine. *Bellorum quidem atrox facies, & ſanguineum vbiq; negotium eſt; ſed ingenijs quoq; non minùs certatur, quam armis, cum ipſa etiam ſapientiæ Diua, haſtam & Clypeum amet, ad corporum & animorum certamen, pariter expedita. Præclara ſunt, quæ à manu forti, & ab heroico bellatorum ſpiritu proceſsêre; at verò ſubtilis illa mentium acies, quoties in arcanam deſcendit; quid non animi viribus illis, quæ robur omne corporis longe excellunt; quid inquam non admirandum, quid non Diuinum attentat? Habet magna hæc ingeniorum concertatio, immortales Heroas ſuos; cum Pytagoram, Tryſmegiſtum, Stagiritam, & alios magnæ eruditionis triarios, ad ſapientiæ miracula format. Manubias certè non Ioue tantum Capitolino, Statore, aut Feretrio; non Marte, aut Bellona dignas, ex opimis ignorantiæ ſpolijs refert; ſed quod mentium ille ditior, & præſtantior theſaurus eſt; quanto ad dignitatem, origine ſuâ, propiùs accedit; tanto manubiæ, gratiores victimæ ſunt. Decuit proinde, inſignia hæc virtutis & eruditionis Immortali trophæo dicata; non in Capitolini quidem ærarij conclaue inferri; ſed in ſacro magnæ gloriæ depoſitorio, in tuo inquam* Perilluſtris & Admodum Reuerende Domine *protectionis & gratiæ ſinu collocari. Pretium quidem illis ex ſe, & honos eſt; quia ſapientiæ trophæa ſunt. Sed habebunt quoq; maius & excellentius, æſtimationis publicæ pondus, tanto nomine inſignita. Quidquid enim vſpiam; ſeu nobiliſsimo pariter vt & antiquiſsimo ſanguine illuſtre; ſeu magnitudine animi, & excellentiâ virtutum venerabile; ſeu literarum, & lite-*

& literatorum æstimatione gloriosum est, id totum insigni nomine Tuo clauditur; cui ex merito summa humanitatis, & cultus & veneratio literata debetur. Aureos vtiq; viros, Orbis Poloni, celeberrima habdancorum prosapia dedit; quæ cum auaras Cæsaris opes, ad vanam ostentationem expositas, aureo annulo comulaßet; non à Cæsare tantum gratias, sed ab omni Sarmaticâ posteritate, ob insignem animi generositatem, gratitudinem meruit: ex eoq; tempore aureos Patriæ viros proferre non desinit. Id enim vero quanquam maioribus tuis hæreditarium semper; Tibi sane proprium est; qui ob excellentiam animi, virtutumq; præstantiam, vir ab aureo æuo, iustißimo encomio dici poßis. Gratulantur id sibi Metropolitanæ & Cathedrales Ecclesiæ; in quarũ Perausgusti Capituli consortium cooptatus, vt Archidiecæsem Gnesnensem, & alias Diecæses nominis tui celebritate impleuisti; Quid vero dicam quam honorificus, & excelenti virtute & dignitate Tuâ, Primatum Regni, Antistitum, & Ecclesiastici senatûs, sensus sit; quam gratus olim Illustrissimo Mathiæ Lubinski, Archiepiscopo Gnesnensi semper fueris; quam ei Cygneam animi tui integritatẽ, summamq; prudentiã probaueris. Magna hæc in famam, & vsum Ecclesiæ propensio Tua, spectatißima vbiq; est, decorẽq; Domus Domini impensè diligit; quæ ad Instaurandã funditùs Templi Louicij structuram, sumptus & operam pio & magnanimo pectore dignã, mirificè impendit; cordiq; nihil magis habet, quam vt debitus rerum diuinarum cultus, atq; Ecclesiasticæ dignitatis amplitudo pristino splendore vbiq; reflorescat. Sed & literæ quoq;, & eruditæ gloriæ decus, non sinè pretio apud te, & honore; imo vero, quemadmodum ipse, in antiquißimâ virtutum & sapientiæ magistrâ Academia Cracouiensi, cultißimum animum tuum, ad omnem literatam gloriam formasti; ita quidquid ab hac Alma matre, incensu erudito ponitur, & honorifice æstimas, & eximiâ protectione foues. Carum est tibi matris huius nomen, cuius integritatem, laborem & fidelitatem institutionis publicæ semper probasti; atq; vt id testatum facias, egregiam sanguinis tui indolem in nepotibus ex fratre, Almæ huic matri sub cura mea credidisti. Veniunt proinde ad amantem nominis Academici Patronum, Laureatæ manubiæ istæ; eo confidentiùs quod, vel hoc nomine, quia Iagelloni athenæi sunt, fauentißimo pectori tuo, gratas se & dilectas fore existimant. Manebit in illis, cultus & venerationis meæ teßera perpetua, quæ vt tanto nomini gratiosa sit, vtq; in amplißimo conspectu Tuo, vultum serenum inueniat, dum oro; supplicia Immortali Deo vota nuncupo, vt quod magno Ecclesiæ bono, in Te suspicimus, & veneramur, non interruptâ felicitate diuturnum, & ad immortalitatem nominis Tui faciat perenne.

Perillustris & Admodum Reuerendæ Dominationis vestræ,

Cliens deditißimus.

PAVLVS AVGVSTINVS MROSZKOVVSKI.

Primæ Laureæ Candidatus.

MAGNO

MAGNO ORBIS POLONI,
Et Academiæ Cracouienſis
PATRONO,
DIVO IOANNI CANTIO.

Debiti cultûs Symbolum,

Ex manubiis Laureatis, trophæũ Immortale; cum Lemmate;

Virtus hâc mole triumphat.

NOn coronati graue pondus auri,
Nec quod eximis trahitur metallum,
Viſcerum terræ latebris, nec alti
Munera Ponti:
Rapta nec belli furiis, cruenti
Martis ad palmas, ferimus trophæa:
Aſt opus pacis, placet in Togatam
Ducere molem.

Quâ tibi ſacros, PATER Alme cultus,
Et trophæorum pretioſa muſis
Bona molimur; ſuper eminentis
Vertice Pindi:

Vicimus ſi quid, rigidi laboris
Teſte conatu; tulimuſque ſi quid,
Laudis; ex alto tua duce nobis
Dextera fudit.

Hoc agis ſemper, vigilaſq; totus,
Palmas vt per te Cracidos triumphet;
Vt labor dulcis veniens, acerba
Tædia vincat.

Ad tuas ergo, decus iſtud aras
Omne concedat, tua buſta cingens,
Mole victrici, vireatq; ſacrâ
Vndique lauru,

Sic tibi plauſus damus eruditos;
Sic tuas proni veneramur aras;
Hâc vt æternùm, tua ſumma virtus,
Mole triumphet.

CLARISSIMIS & EXCELLENTISSIMIS DOMINIS,

EXAMINATORIBVS.

Clarissimo & Excellentissimo Domino,

D. M. NICOLAO BROSCIO,

Collegæ maiori, Astrologiæ & Geometriæ Ordinario Professori,

ac interea,

Philosophicæ Facultatis Decano.

Clarissimo & Admodùm Reuerendo Domino,

D. M. IACOBO BALTAZAROWICZ,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Maiori, Regio Professori, & ad Sanctam Annam CANONICO.

Clarissimo & Admodùm Reuerendo Domino,

D. M. IOANNI RVDZKI,

Collegæ Minori, Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Canonico, Contubernii Iagielloniani Seniori.

Debitæ Venerationis, & gratulationis insigne;
cum epigraphe;

Hinc nostræ lumina mentis.

PVpilla magni maxima luminis,
Phœbea lampas, non sibi publicos
Sed vniuersi propter vsus,
Auricomo famulatur igne:
Hinc sumptuosis fulsit honoribus;
Rhodumq́, grandi mole, Pelasgicas,
Opes fatigasse, & stupendo,
Fecit opus posuisse nisu.

Namq; orbis illi gratia, publico,
Censu ferenda est lucis, amabilem,
Usus in omnes, quod ministrat
Et reserat sine nube vultum.
Hæc illa Vobis lumina mentium
Debemus, alti pectoris in sinum
Recepta; quêis commune fulgur;
Palladio micat in theatro,
Ex erudito fonte scientiæ
Diuina, Brosci; quale tibi dedit
Mathesis; excelso rursum
Te voluit radiare in auge,
Alti Sophôrum muneris arbitrum
Dignam coronis pluribus; vt tua
Sudauit, augendis bonorum
Ingeniis ânimosa virtus.
Nec eruditâ luce minus tuâ,
Inter Sophorûm fulsimus exedras,
Baltazaroui, quâ corruscas
Difficiles aperisq; nexus.
Illuminati dotibus ingenî.
Hoc dulce Rudzki nectar, & aurei
Oris facultas promeretur;
Flexanimo veserandus ore,
Per rostra quando publica fulgurat.
Sic terna lampas vestra, nitoribus:
Effudit in nos literatis
Lucis opus, tribuitq; nostris
Sertis decorem. cui Rhodium proin
Fas est colossum fiere, lumina
Nostra quod hinc mentis, sacræq;
Venerit omne decus coronæ.

CLA-

CLARISSIMO, & ADMODVM REVERENDO DOMINO,

D. M. VALENTINO IOANNI MAZVRKOWICZ,

Collegæ Maiori, Regio Professori, & ad Sanctam Annam Canonico,

PROMOTORI DIGNISSIMO.

Columna Herculis coronata.

cum Epigraphe;

Rectè qui terminat coronat,

HErculeum tibi surgit opus, quod prisca tulêre
Secula, & emenso quod dedit orbe labor.
Scilicet Alcidæ meruit celsissima virtus,
Iret vt ad metam, non violata suam,
Post Erimanthæos, Næmeos postque labores,
Monstrorum post tot prælia, postque neces;
Heroæ mentis celebris, dum terminat actus
Dumque perenne, bono fine coronat opus,
Mansuras æuo figit veniente columnas,
In quibus ex lauru, surgit honoris apex
Hoc tibi debetur, solidi virtute laboris,
Assiduà quem tu soliditate foues;
Seu tibi suada placet facundis inclyta rostris,
Siue Sophûm studio, te Peripatus habet:
Seu sacras imples cathedras, seu vindice pennâ,
Immortale tibi nomen in orbe paras
Vndique respondet felix labor. vndique magnis
Alcidam meritis, æmula facta probant.
Sed docti capitis, lauru viridesque corymbos,
Cùm tua fert nobis, Vir Venerande manus
Votaque dùm ritu solenni noxæ coronat;
Felici quando terminat illa gradu;
Accessêre tuis. noua lauri serta columnis
Et nouus ex tanto munere venit onus.

MANVBIÆ
LAVREATÆ.

I. V. D. IOANNI IARONSKI.

Victimæ Triumphantium Romæ deaurari Solitæ cum epigraphe;

Quæ Sacra, pretiosa.

DIcata cœlo munera grandibus
Aurum coronat nobile victimis;
Arisq; Diuorum & triumpho,
Quæ Sacra sunt, pretiosa donat.
Selecta quidni portio, maximi
Cedat trophæi rebus olympicis?
Templisq; victrix, nonne primas;
Roma tulit, posuitq; gazas?
Nec te Jaronski, quando sibi manus
Diuina mystem vindicat, auream
Selectioris rem metalli,
Dotibus egregiis carêre
Permisit. omnes nobiles ingenî,
Cultiq; dotes pectoris hûc ferens;
Virtutis, & morum decore,
Atq; animi sapientis vsu,
Cœlo dicatum munus vt impleas;
Phebea sic iam, nunc tibi laurea
Defertur, vt sacræ togatis,
Adiciunt precium coronæ.

I. V. D. CASIMIRO ZAWADZKI,

Delphicum aurei tripodis insigne cum lemmate;

Pietate & sapientiâ.

RErum quam sacer est nexus! & aureo

Quare

Quam dignus genio Palladis inclytæ!
Doctrinæ pietatis cum benè vinculis,
Hæret iuncta fidelibus.

Mens auro similis, quæ solidum decus
Virtutis, sociat cum sapientia;
Ceu delphis tripodex Cynthius aureo,
Quando oracula nunciat

Sic doctam loquitur, rem quoties sacer:
Virtutis genius; tum velut aurei
Sunt responsa animi; tum bene conuenit
Vituti atque scientiæ.

Hæc victuri operis, sunt solidissima
Fundamenta tui; cum benè coiunxeris
Virtuti sapiens pectus, & optimæ
Zawadzki, decus indolis

Immortalis erit veraque gloriæ
Moles inde tuæ; cui pietas basim,
Inuictam posuit florida cui viret
Sacro vertice Laurea.

III. V. D. VALENTINO BERNACKI.

Traiani Cæsaris imago, Romæ in triumphali curru, post mortem eius deducta.
cum lemmate,

Virtus etiam post fata triumphat.

Pulchra, Bernacki, generosiorem
Indolem virtus, quoties coronat,
Nomen æternùm facit, & nefastis
Eripit vmbris.

Cæsar Augusto venerandus ore,
Fata non currat, cinerumq; busta;
Sed coronatâ veniens in Vrbem
Morte triumphat.

Sola virtutis solidæ, per orbem
Vita post vrnas manet æuiterna,
Quæ tibi famam parat, & Togatæ
Munera laudis,

 Indo-

Jndolem musis docilem tulisti,
Palladis rebus facilesq́; curras;
Ipsa sed regnat, placidoq́; virtus
Spirat in ore.
Arduis quodquid labor in cathedris
Ore facundo tibi suada quidquid
Gloriæ ponit; decus omne virtus
Sola coronat.

IV. V. D. ALBER. SZYMANOWSKI

Torques aureus, à Claudio de victis Boiis, in Capitolio positus, cum lemmate;

Iusti post certamen honores.

MAturâ virtute, decus quodcunq́ue paratur,
Quoq́ue graui studio, sedula cura parit;
Iusta triumphorum certamine parta trophæa,
Nominis æterni, præmia iusta refert.
Non priùs auratis Capitolia summa coronis
Claudius, & magno cingit honore Iouem,
Non priùs ad sacras, pretiosi pondera torquis
Ex voto gazas fert, superisq́ue dicat;
Quam Boios virtute domat Martemq́; secutus,
Belli pro Patria, mille pericla subit.
Ardua curarum, Szymanoui sic tua virtus,
Peruigili primum sedulitate tulit;
Quam decus ex studiis; quàm Lauri donatæ
Quæreret; emeritus nam bene cedit honos.
Aurea nunc lauro, coniungit munera iuste;
Atq́ue triumphali iam bene torque nitet.
Conscia mens quando, reputat certamina secum
Quæ bene confecit, quoq́ue molesta tulit.
Sic tibi, qui longo plene maturiuit vsu,
Virtutis fructus viuet? & altus honos.

V.

V. V. D. IOANNI TVCZĘPSKI.

Porticus Persica, à Laconibus ex manubiis Persarum, trophæi loco erecta.

cum lemmate;

Arduum, ſed æternum.

SPartana magni gloria nominis,
Quod æuiterna fixit honoribus,
Paruâ, ſed haud cedente dextrâ,
Perſidis ex opibus fugatæ.
Opus triumphi nobile maximi
Te poſcit; ingens Perſica porticus
Ex orbe longinquo, Pelaſgi
Facta decus, pretiumq; Martis.
Sudoris hæc eſt gloria Martii
Sed nec togatæ, rebus in arduis,
Minora Tuczępſki, Palæſtræ
Sunt opera; aut minus erudito.
Viri probamur puluere; quod tua
Spectatur alti pectoris indole,
Illoq; conatu elegantis
Ingenii, quod ad altiores.
Dum Laurearum ſurgit adoreas,
Spartana præfert pectora, cogitans
Magnum ſed Immortale tandem,
Palladis ex ſtudio tropheum.

VI. V. D. BONAV. KIELIANSKI.

Cne: Pompeii, poſt alpinas deuictas, poſita in montibus ſydereis moles.

cum Lemmate;

Hæc Veſtigia gloriæ.

MAgnum belligeris artibus, & ſuo
Maior nomine, dum Cneius Ibericus
Sæuo & certamine Palmas,
Alpinis poſuit iugis.

 Quantum

Quantum in Patriæ nomine fecerit
Orbi dum loquitur, linquit in arduo
Hæc veſtigia magnæ
Virtutis, data poſteris.
Et te docta Patris nonnè decet tui,
Exempla, in ſtudio ſæbigenûm ſequi.
Qui clarum, KIELIANSKI,
Signauit tibi tramitem.
Olim laurieris ille cohortibus
Doctum quando libens inſeruit caput;
Iam virtute Paternâ
Addebat ſtimulum tibi.
Hinc eſt ingenij, quæ facilis tibi
Reſpondet bonitas; cûi ſolidus labor
Accedens dabit olim
Hæc viſtigia gloriæ

VIII. V. D. BLAS: MACZOWSKI,

Flaminii, ex aureis Gallorum torquibus; pretioſum ad Immortalitatem nominis trophæum.

Cum Lemmate;

Aureus ex meritis fructus.

GRande virtutis decus eſt, in altum
Tollitur quando meritis & omni
Quando curarum ſuperare niſu
Ardua tentat.
Illa Neptuni per in hoſpitales
Martis in Campo, toties cruento
Puluere ſparſa.
Inde ſed multo pretioſa ſurgit,
Torque Gallorum; meritiſq; ductas
Aureas moles parat, æuiterna
Munera gazæ.
Hic tibi fructus meritus paratus,
Auream mentem facit, vt decoro

Torque.

Torque, MACZOWSKI, Lechici coronet,
Gloria Phœbi.
Seu vbi Stoæ rigidi labores
Diua seu cæli placuit Mathesis;
Aureas curas sequitur Togatas
Vndiq; fructus.

IX. V. D. MICH: KALISZOWSKI,

Periclis nouies pro Patria victoriis; Atticum monumentum.

Cum Lemmate;

Os, & pectus paratum.

GEntis summa Pelasgicæ
Oris fulminei gloria, posteris
Immortale relinquere,
Dum conatur opus; grandibus vndiq;
Fert curis animum parem.
Rostris doctiloq; nec satis Atticæ
Suadam pro Patriæ bono.
Impendisse putat, marte sed arduo
Pectus magnanimum probat;
Et quas Herculeis quæsijt ausibus
Rursus pro Patria nouis,
Palmas non renuit forte laboribus.
Et te suada KALISZOVI,
Quamuis flexanimo nectare fecerit
Dulcem; laudibus eloqui
Iungis Socraticæ dogma scientiæ.
Sic oris tibi gratia,
Et cultum solidis pectus ab artibus,
Par vtroq; decus bono,
Nectet Palladia, inter adoreas.

X. V.D. NICOLAO BARANOWIC,

Octauii aurum Columnæ rostratæ trophæum.

Cum Epigraphe;

Et firmitate, & pretio.

QVæ fulcra rerum, quodue cadentibus
Robur columnis quærimus? omnium
Momenta cum puncto feramur;
Stabile cumq; nihil potestas
Humana firmet concidit aureis
Rostrata moles Cæsaris, heu diu
Gemens ruinis; nec perenni
Eualuit, pretiosa quamuis,
Stetisse fulcro sola decus suum
Et firmitatem, iuncta scientiæ,
Virtus BARANOWI, tuetur
Indole quam placidâ secutus,
Ad laureatæ munera gloriæ
Procelis, & iam Palladis emanu,
Totius ornamenta vitæ,
Et pretio simul, & perenni
Beata fulcro Thespia dum caspis
Lauru decorus quam tibi faustitas
Firmabit omnis si Togatus
Perpetuo labor ibit vsu.

XI. V. D. GREGORIO GASNICKI,

Velum in Templis Græciæ, effigiato opere, Heroum gesta repræsentans.

Cum Lemmate;

Reuelat, vt incitet.

INclyta magnorum venerari nomina; iustum est
Et iram tota posteritate loqui,
Hoc egit Gragæ pulcherrima, gloria gentis,
Clara debet summis, quæ monumenta viris;
Effinxitq; manu quidquid Minerua virtus,
Pro Patria gessit, quidquid in orbe tulit,
Vela dedit Templis, sed magni vela trophæi
In quibus Horeæ mentis adumbrat opus,
Et sua Palladis velamina mentibus adsunt,
Nomina quæ doctis, non peritura ferunt.

Talia

Talia KASNICKI, Solidâ virtute mereris
Mens tua dum Studijs cum probitate vacat
Priſcorum quo ties voluis monumenta Virorum,
Et qnidquid potuit condere docta manus,
Incitat ad ſimiles te gloria nominis actus;
Incitat ad doctæ geſta decuſq; Togæ,
Ergo quod exemplis magnorum diſcis & inter
Matris Academiæ pulpita clara vides.
Fac imitare deni; Cracia ſed Pallade dignum
Dilectum faciet te ſibi muſa caput.

XII. V.D. ANT: BARTOSZOWSKI,

Columna, in ludis olympicis, ad victoriæ metam erecta.

Cum Epigraphe;

Terminus, & corona.

NVlla Virtuti potiora corona eſt;
Quam fatigatis poſuiſſe tandem,
Exitum curis & in abſoluta
Siſtere meta.
Seu per alternos freta vaſta fluctus,
Nauiges ſeu in rigeas feroci
Marte; ſeu palmas tibi vis citatis
Quærere bigis.
Fauſtitas omnis tibi deſtinata
Hæret in meta; quod Apollinari
Iam tibi Lauru, meritoq; docti
Cedit honoris.
Indoles huc te Studiis Mineruæ
Apta deduxit, voluitq; primùm.
Aſperis vti, melius labori
Pectora firmans.
Meta ſed quamuis Tibi BARTOSEWI,
Ceſſit ex Voto, labor â columna
Te nouus poſcit, potiora ſi vis
Munera ferre.

 VII. PAV-

V. D. PAVLO AVGVSTINO MROSZKOWSKI,

Primæ Laureæ CANDIDATO,

In symbolum optimi affectûs & mutuæ gratulationis.

IOANNES IARONSKI,

Eiusdem Laureæ CANDIDATVS,

Olympicam pro Manubijs Laureatis Coronam.

Cum Lemmate;

Decus hoc certamina claudit.

Votiuo applausu offert.

VIncere Palladiæ quisquis certamina curæ;
  Peruigiliq; animo tædia ferræ potest;
Dignus honoratæ lauru virtutis habetur;
  Grande trophæorum iure capitq; decus.
Hoc tu, MROSZKOWSKI, nostros vicisse labores,
  Indolis egregiæ dexteritate videns;
Protinus ad Lauras nostros viridesq; Corymbos
  Adicijs ingenij munera docta tui;
Priscaq; scrutatus secli monumenta Vetusti
  Ad nostrum ponis, clara trophæa decus,
Scilicet ipse sacer Musis, laudisq; Togatæ
  Plenus, & instructus dotibus eximijs.
Promptus es ad laudes alienas, promptus ad omne
  Virtutis pretium, quod tua plectra canunt
Ergo triumphali qui nos ornare tropheos,
  Et poteras donis, condecorare tuis.
Ipse coronatus magna cum laude triumphas,
  Dulcisonum carmen, quod tibi musa dedit.
Hoc vt Olympicæ præstent tibi dona coronæ,
  Oblatum fido pectore; munus habe
Omnia virtutis, decus hoc certamina claudit
  Pectora sed nunquam, claudit amica tibi.

Sub Felicissimis Auspicijs.

Magnifici, Perillustris & Admodum Reuerendi Domini,

M. ALBERTI ŁANCVCKI,

I. V. Doctoris & Professoris, Archidiaconi Pilecensis,
Cancellarij SS. Omnium, S. Michaelis in
Arce Cracouiensi Canonici.
Almæ Vniuersitatis Academiæ Cracoviensis,
GENERALIS RECTORIS
VIGILANTISSIMI.